


31

29

35

25

20



Seu uox uera hominis, siue ars erit æmula uocis,
Concentu capiet lenia corda suo.
Siue fides digitis pulsæ, seu Spiritus oris
Instans, è uoces gutture siue sonent,
Omnibus his gaudet uehementer Teccius heros,
Et sensus refici sentit is inde suos.
Ut satis indultum est genio, mensæq; remotæ,
Non lusus heros captat amatq; leues.
Non cyathos ultra cupit euacuare Lyæi,
Dum titubet uitio linguaq; pesq; suo.
Sed cupit, hac quod sit spectabile forsan in urbe,
Illud luminibus cernere posse suis.
Scilicet hinc crescit grauis experientia rerum,
Scilicet hinc usus iudiciumq; uenit.
At qui consumit malè tempus lufibus omne,
Aut onerat corpus nocte dieq; mero,
Ille manet rerum rudis imprudensq; per æuum,
Mœstaq; cum turpi damna pudore feret.
Muniti locus est ad propugnacula muri,
Aspiciens ortum lucide Phæbe tuum.
Hic ingens domus est, oblongaq; non nimis alta,
Est ante hanc spacijs area lata suis.
Anfractum domus intus habet longissima curuum,
Anfractus dextram ducit ad ille manum.
Intratur porta, uiret intus & area lata,
Factus & hic fons est exilientis aquæ.
Hic genus armorum iacet urbis totius omne,
Theaurusq; loco maximus urbis inest.
Præcipuè locus hic spectatu dignus habetur,
Hospes cumq; ferè turba uidere cupit.

Princeps cupit uisu
digna in urbe spectare.

Armamentarij Vlmēs
suum descriptio.

D 3 Huc

Ende

Anfang